AUTHOR:

GORAM, GEORG OTTO

TITLE:

OBSERVATIONES IN ALIQUOT PINDARI...

PLACE:

MERSEBURGI

DATE:

[1851]

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88P63
DZ8
v.4

Goram, Georg Otto,
...Observationes in aliquot Pindari locos, scripsit Georgius Otto Goram... Merseburgi, literis haeredum Herlingii, [1851]
23 p. 22½ cm.


At head of title: Examinis anni 1851 vernalis in Gymnasio Merseburgensi solennia celebranda... indicit C. F. Wieck, rector...


Volume of pamphlets

33926

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202








Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

EXAMINIS

ANNI MDCCCLI

VERNALIS IN GYMNASIO MERSEBURGENSI SOLENNIA CELEBRANDA

OBSERVANTISSIME INDICIT

CAROLUS FERDINANDUS WIECK

RECTOR ET PROFESOR.

PRAEMISSAE SUNT

OBSERVATIONES IN ALIQUOT PINDARI LOCOS

SCRIPSIT

GEORGIUS OTTO GORAM

GYMN. COLLAB. CLASS. V. ORDIN.

MERSEBURGI

LITERIS HAEREDUM HERLINGII.

Olymp. IX. vs. 51. edit. Boeckh. omnes codd. mss. *ἔγειρ' ἐπέων σφιν οἶμον λιγύν*. Boeckhius de conjectura Gedikii *οὖρον* arripuit, ideo severe castigatus ab Hermanno ap. Heyn. III. p. 303: „Mirum, haerere quemquam in verbis *ἔ. ἔ. σ. οἶμον λ.* potuisse; magis etiam mirum haerenti obtemperasse quemquam." Plura non adjecit V. Cl., quibus locum a criticorum ausis defenderet; jam vero Dissenius desertas ab illo partes suscepit, *ἐπέων οἶμον λιγύν* sonorum, eximium genus cantus vertens, quocirca metaphoricas locutiones *εἰπεῖν*, *ᾄδειν*, *ἰαχεῖν ὁδὸν λόγων*, *ἐπέων*, *ὕμνων* contulit. At in his verbum (*ῥῆμα* dico) proprium est, nomen solum translatum, uti vel apud audacissimos poetas, ne rarior metaphora prorsus in aenigma et allegoriam abeat, proprium uno certe verbo indicari solet, etiamsi reliquas orationis partes translata obtineant. Immane enim esset, si sic loqui liceret poetis, ut verbis sententias absconderent potius, quam illustrarent atque inventione lasciviente omnem intellectum simplicemque sententiarum perspicuitatem perderent. Hoc loco nec simile cum proprio miscetur, nec verbi *ἐγείρειν*, excitare, notio et substantivi ullo pacto in unum coire videntur posse. Praeterea neque est, quod *οἶμον*, semitam vulgari *ὁδός* excusemus, (recte Boeckhius *οἴμη* postulat), neque adjectivum *λιγύς*, canorus s. sonorus carminis naturam indicare potest, sed vocis et soni. *τὸ δὲ λιγὺς οὐ λόγου ἁπλῶς, ἀλλὰ φωνῆς ἐστι ποιότης, ὡς τὸ, λίγα κλάζοντες· ἢ κάλλιον εἰπεῖν ἀρετή· κ. τ. λ.* Eustath. ad Il. p. 96. ed. Rom. Itaque laudandus erit Bergkius, qui maluit in audaciam Boeckhii concedere, quam a desperatis Dissenii partibus stare. Nihilo minus itidem pugno, hunc locum omnibus libris tutum non tam emendationis indigere, quam interpretationis. Etenim, quod interpretes ad unum omnes praetermiserunt, os, quod poeta vs. 36. alloquitur, subjectum manet syntacticum tum vss. 40 — 42, tum vss. 47 — 49. Hanc allocutionis figuram sive *ἀποστροφὴν*, qua vocativo reliqua oratio accommodatur et prima quodammodo semina *προςωποποιΐας* jaciuntur, ne quis miretur per tot versus servatam ideoque abjudicandam a Pindaro censeat, conferatur modo primi Pythii carminis initium, ubi *χρυσέα φόρμιγξ* vocativo appellata diutius etiam orationem regit. Iam os semitam carminum excitat, quod verba e pectore suscitans veluti viam struit aperitque, qua in aures audientium migrent. Similiter Ovidius viam vocis dicit Metam. VI. 355. XIV. 498, vocis iter II. 830. Canora autem semita est,

quia carmen canitur. Apud scholiastas meae explicationis nullum vestigium deprehenderis, nisi forte glossema **ὅρμον** pro **οἶμον** exceperis, cfr. Hom. Od. X, **90**. XXII, **137**. Qua quidem ratione ut simile cum simili, terrestrem viam cum navali statione commutarent, haud scio an illi verbi **ἐγείρειν** notione induci potuerint; imo de industria poeta semitae imagine usus est, qui in antecedentibus vs. **43**. Deucalionis et Pyrrhae descensum de Parnaso commemoraverat, quorum vestigia jam carmine relecturus et prisca illa spatia iterum mente perlustraturus est. Ceterum nemo non videt, ore subjecto jocosam carminum et vini antithesin aliquanto plus festivitatis saliumque accipere, praesertim ubi cum clarissimo interpretum inter pocula cantatum carmen conjeceris. Ansam comparandi, siqua praeter celeberrimum poesis cum Baccho commercium requiritur, facile simillimus nominum **οἶμον** et **οἶνον** sonus dederit, quod artificium diversas oppositis frontibus sententias copulandi quamvis rhetoricam officinam redoleat, tamen a ludente sic poeta alienum judicari vix poterit. Etenim jam Homerus similes annominationis, alliterationis, etymi rationes novit; cfr. Od. XIV, **120** sqq. XIX, **407** sqq. XX, **56**. **106**. **108**. XIII, **178**. X, **316**. V, **73**. VI, **296**. IX, **133**, II, **6** sqq. Il. XXIV, **611**. XX, **316** all. Saltem quod scholia referunt, jocose dicto Simonidem tanquam acerba invectione carpi, id neque e verbis Pindari totaque loci conformatione, neque e fragmento adsersarii, quod hac occasione oblata lucrati sumus, evincitur, ita ut cum Boeckhio probatum Pindaro statuamus, quod vel Archilocho ψογερῷ: *οὐ γὰρ ἐσθλὰ κατθανοῦσι κερτομεῖν ἐπ' ἀνδράσιν.* [1])

Quod in jus suum restitui, os pro persona poetae subjectum consentaneum est antecedenti quoque orationi multo clariorem lucem porrigere et mancam falsamque ad hunc diem interpretationem non uno loco emendare:

Vs. **39**: *ὑποκρέκει* verbum citharae et fidium proprium ad linguam transfertur et cum verbo vocis humanae **καυχᾶσθαι** componitur, perinde ac simplex **κρέκειν** cantum designat apud Meleag. Ep. **87**, **2**. **112**, 3. idemque tibiae verbum est apud Aristoph. Avv. vs. **682**. Ita *κρέξ* aviculam denotat, quam Eustathius ad Il. p. **1279**, **47**. satis probabiliter a verbo *κρέκω* dictam censet, quando **κρέξασα κίσσα** in Anth. Pal. c. VII. n. **191**. documentum praebet, *κρέκειν* de avium voce dici et **κερκὰς** ab Hesychio exponitur **κρὲξ ὄρνεον**. Scholia duplicem praebent explicationem, unam c o n s o n a t s. c o n v e n i t cum, alteram s u c c i n i t, ita, ut cantor chordas intendat et exploret, respondeantne cetero cantui. Nos igitur *μανίαισιν ὑποκρέκει* universe vertemus: e s s t i m m t z u r a s e n d e n W e i s e n, de quo usu pluralis cfr. Bernhardy. Synt. p. **63**. Ceterum haud raro verba eorum instrumentorum, quae plectro vel digitis pulsantur, ad ea transferuntur, quae ore canuntur. V. Huschke epist. crit. q. **9**—**11**. Wolf. ad Sapph. Carm. p. **238**. Wunderl. ad Tibull. Observv. I, **1**, **4**. Blomf. ad Aesch. Choeph. vs. **808**. In cumulum addo Pindarica Pyth. X, **39**: *λυρᾶν τε βοαὶ καναχαί τ' αὐλῶν δονέονται*, quae enarratores sicco pede transierunt.

Sequentia *μὴ νῦν λαλάγει τὰ τοιαῦτ'. κ. τ. λ.* sive de poeta sive de choro accipiantur, prolixa oratio apparet et quae reapse senilem loquacitatem sapiat, quoniam res parum inter se diversae multifariam repetuntur: sin mecum oris allocutionem statueris, suavissimam reperies et nativa simplicitate conditam sermocinationem, atque loquacitatem istam paene necessariam duces, qua poeta ab horrida pugnae divinae descriptione et fervidissima nefarii argumenti detestatione ad dulcem pacis imaginem mitiores sibi paret limites.[2]) Verba *ἔα πόλεμον μάχαν τε πᾶσαν χωρὶς ἀθανάτων* quum duplicem constructionem admittant, in errorem duxerunt interpretes, qui vertunt: mitte omne bellum a b s q u e d i i s g e s t u m. Construendum potius est: *χωρὶς ἔα πόλεμον μ. τ. π. ἀθανάτων*, coll. Pyth. I, **10**: *τραχεῖαν ἄνευθε λιπὼν ἐγχέων ἀκμάν.* Neutiquam enim sine diis Hercules certamen ad Pylum iniit, sed ipsius Herculis exemplo demonstratur, fortes viros divino

1) Sequor enim Boeckhium, qui in Ol. 64, 3. Pindari natales rettulit et octogenarium defunctum esse censuit, cui famae etiam historia de morte poetae favet. Altera ei tantum sexaginta sex annos tribuit: utraque ex Eustathii prologo et e Vita Thomae Magistri patet. Ille haec habet: *γενομένῳ (Πινδάρῳ) ἐπὶ ἄρχοντος Ἀβίωνος κατὰ τοὺς χρόνους Αἰσχύλου, ᾧ καὶ συγγεγένηται ὁμιλήσας καὶ ἀπονάμενός τι καὶ τῆς ἐκείνου μεγαλοφωνίας. τέθνηκε δὲ, ὅτε τὰ Περσικὰ ἤκμαζε, κατὰ τὴν πς' Ὀλυμπιάδα, ζήσας ἔτη ξς', κατὰ δ' ἐνίους π'.* Thomas autem haec: *τέθνηκε δ' ὁ Πίνδαρος ξς' ἐτῶν γεγονὼς ἢ ὥς τινες π' ἐπὶ Ἀβίωνος ἄρχοντος κατὰ τὴν πς' Ὀλυμπιάδα.* Inde temere nuper Westermannus (Vitarum scriptores Graeci minores p. 101.) Ol. 86. tanquam certum mortis annum constituit et annum natalem Pindari Ol. 66, 3. esse voluit. Nam praeterquam quod **κατὰ τοὺς χρόνους Αἰσχύλου** natus dicitur, Boeckhius pro certo exploravit, carmen Pyth. X. in Ol. 69, 3. cadere, quod profecto a puero duodecim annorum componi non potuit. Tum Eustathii oratio ostendit, verbis **κατὰ τὴν πς' Ὀλυμπιάδα** mortem sexaginta sex annos emensi indicari, quae hanc ipsam ob causam vitium in fronte gerunt. Meo judicio numerus ς' ex annorum numero, qui vitae tribuuntur, perperam irrepsit, ut legendum sit **κατὰ τὴν π' Ὀλυμπιάδα.** Quodsi quarto hujus Olympiadis anno mortem assignaveris, medio numero 33. bis retrorsum tracto exsistent Ol. 72, 3. et 64, 2., qui a vulgari computatione uno tantum anno differunt. Rursus in Thomae verbis praeter illud mendum verba *ἢ ὥς τινες π'* alieno loco inculcata videntur, fortasse sic rescribenda: **τέθνηκε δ' ὁ Πίνδαρος ξς' ἐτῶν, γεγονὼς ἐπὶ Ἀβίωνος ἄρχοντος, κατὰ τὴν π' Ὀλυμπιάδα, ἢ ὥς τινες π'** (scil. **ἐτῶν**). Illa enim aetate *γεγονὼς* aliquoties de natalibus legitur. Equidem, singulis diligenter expensis, non possum, quin Boeckhii rationi calculum adjiciam, Pindari lucem natalem veri Ol. 64, 3., mortem Ol. 84, 3., hoc autem carmen Ol. 81, 1. tribuentis, quod a poeta sexaginta sex annos nato compositum et paene cycneum quantam quamque integram animi alacritatem ingeniique venam ostendat, jure admireris. Simonides autem jam circiter Ol. 77, 4. nonagenarius defunctus est.

2) In eo erat, ut Pindarus divini numinis vim in hominibus demonstraturus (vss. 30. 31.) ipse pietatis erga deos fines excederet. Itaque pius poetae animus ingenii protervitati se opponit: huic satisfecit, quoad pugnam divinam paucis sed vividis lineamentis adumbravit, illum servavit, quia in tempore narrationem abrupit, dum dii impetum facere nec jam terga vertere videntur. Utrumque est sapientissimi viri. Tum pergit potentiam deorum explicare, sed

numine (*κατὰ δαίμονα* vs. 30.) exsistere. [3]) Insuper verba *πόλεμον μάχαν τε πᾶσαν* sic accepta vim et gravitatem suam obtinent neque otiosi pleonasmi speciem prae se ferunt, quam altera structura praebet, licet jam Homerus Jl. XVI, 251. *πόλεμόν τε μάχην τε* conjunxerit. Denique attendas velim ad sequentem sententiam, quae omnem dubitandi causam adimit veramque explicandi viam digito quasi monstrat: Hoc argumentum seorsum mitte, os; feras potius linguam Protogeniae urbi. Nam verba *φέροις γλῶσσαν* locutione *μοῖσαν φέρειν* Nem. III, 27. profecto frustra excusantur; tu mihi credas, hic os juberi linguam suam portare.

Ulterius vero in illustrando orationis Pindaricae contextu pregredi non licet, donec de antiquitatibus Locrensibus accuratius quaesiverimus et dijudicaverimus, quo jure Boeckhius post vs. 56. majore signo distinxerit. Boeckhianam rationem, cui obsequi ceteri non dubitaverunt, hoc stemma gentile in luce ponat:

Japetus
Prometheus Epimetheus
Deucalio Pyrrha
Jupiter Protogenia I.
Opus I.
Protogenia II. Locrus Jupiter
Opus II.

Protogeniam duplicem de conjectura datam esse Vir Cl. libere profitetur, quum alteram poeta non nominet, scholia veritatem nominis addubitent. Cetera tam verisimilia sunt, ut lubenter concedamus, Opuntis secundi maternos majores originem duxisse a Lais et gente Japeti. [4]) Nihilo minus quae hoc fundamento nititur a Boeckhio introducta et exinde

pacificorum, ut qui generis humani sint auctores et conditores. Haec generatim dico, ne quis cum Dissenio aberrationis simulationem, nedum aequalium judicium aliaque ejus generis artificia pro machinis adhibeat, quibus poetae consilium enucleetur. Quin immo quoties Pindarus fabulis crisin impertit, quae est illius aetatis integritas atque ipsius poetae auctoritas, edocet tantum aequales et admonet, ne *πλάσματα τῶν προτέρων* insipienter recoquant; cfr. Xenophan. I, 21.

3) In proelio ad Pylum commisso Pausania teste VI. 25. Minerva heroem adjuvit. De formula *κατὰ δαίμονα* v. Bernhardy. Synt p. 240. Vehementer miratus sum nuperos Thesauri Steph. editores, qui sub v. *δαίμων* haec docent: „In hoc loquendi genere *κατὰ δαίμονα* vel *κατά τινα δαίμονα* extra controversiam est, per *δαίμονα* Fortunam intelligi, quum id plane sit, quod Lat. dicunt, Forte fortuna vel forte quadam, P. Ol. IX, 30.“

4) Apud eum, qui saecula anxie rimaturus sit, dubitatio oriatur, an Opus prior Epeorum praesul recte Protogeniae filius nuncupari possit. Menoetius enim infra (vs. 70.) Opunti II aequalis dictus recentiora tempora sibi poscere videtur, quem inter et Hellenem Aeolus, Deion,

probata unum e vexatissimis totius lyrici locis expediendi ratio singula momenta diligenter consideranti mihi vacillare et praeceps ruere videtur. Quid enim? Verbis poetae *Ἰαπετιονίδος φύτλας κοῦροι κορᾶν καὶ φερτάτων Κρονιδᾶν κ. τ. λ.* contendunt Opuntem cognominis Epei una cum posteris Locrorum regibus significari, utpote qui matrem habeat a Deucalione et Pyrrha, ad ultimum ab Japeto genus deducentem, patrem Jovem Saturnium. De plurali adi Boeckh. expll. ad Pyth. II, 25. Aenigmatis igitur loco (sic loquitur Dissenius) Opuntis parentes indicantur, quod aenigma sequente stropha solvitur. Atqui ne solvitur quidem per tertiam stropham, saltem non ea pars aenigmatis, quae sola difficultatem objicit, maternam dico stirpem a Lais. Quam qui ante non doctus est, — neque forsitan apud ipsos Opuntios talis fama in vulgus nota fuerit — is nomine carentem virginem hinc repetere nullo modo potest. Adde, quod Thebano vate indignum videtur, genealogica ejusmodi aenigmata proponere, quae audientibus extemplo soluturus esset. Rursus quo consilio narrationem de Deucalione et Pyrrha genus humanum et primum domicilium condentibus praemitteret? Num credibile est, patriam victoris urbem tanquam incunabula hominum vs. 45. obiter tantum celebratam esse, ut aegre Locrenses internam gloriam primoribus labris gustarent, contra recentem Opuntis a matre Laica originem tam fuse explicitam, ut Eleorum terra et Olympia domesticis, ubi canitur carmen, agris cumulate praeferretur? Quo consilio quaeso, poeta verbis *λέγοντι μὰν κτλ.* ex integro ad descriptionem diluvii rediret? Quae quidem Thierschio, ceteroquin eandem cum Boeckhio, Hermanno, Dissenio sententiam foventi, tam molesta et absurda visa est, ut plane dubius annotaret: An die Deukalionische Fluth ist hier nicht zu denken. Cui promtum sane paratumque Dissenius dedit responsum: „quum jam non posset statim ordiri a *κείνων*, necessario praemittenda erant quaedam, quibus nexus restitueretur.“ At nemo opinor, adeo ineptit, cui talis praeparatio praeparationis tamque perversa et indigesta rerum temporumque congeries, scilicet ad nexum restituendum necessaria, placeat magnopere. Illa autem ipsa *κείνων δ' ἔσσαν κτλ.* singulatim perpensa luce clarius ostendunt, de Epeis advenis sermonem esse non posse. Namque *κείνους* sive Deucalionem et Pyrrham sive Laos intellexeris, futilem laudem et inanem continet *ἀρχᾶθεν*, siquidem Locro cum majoribus neglecto muliebris tantum stirps Opuntis II. ab incunabulis repetitur, pater Jupiter, licet plurali numero, illico se offert. Dein ultima *ἐγχώριοι βασιλῆες αἰεὶ*, ab ennrratoribus susque deque lata, quando quidem ab aetate Menoetii calculum subducimus et de ad-

Actor intercedunt, itidemque e fabula Pindarica apparet, Locrum aetate senili et Opunti majori supparem sisti; Locrus autem secundum vulgarem Graecorum famam Physci filius, Amphictyonis nepos vocatur, qui Hellenis frater fuerit. Cfr. scholl. ad Ol. IX. vs. 96. Scymn. vss. 581—590. Eustath. ad Jl. II. vs. 531. p. 277. Sed nolo Theonino dente Boeckhii doctrinam corrodere, quippe qui probe sciam, in his annorum quasi digitis computationem ineptam esse, ac saepe avum et patrem, filium et nepotem, filiam et neptem inter se permutari.

venis cogitamus, aut plane sensu cassa in cumulum laudis accedunt, aut ambiguae prolepsis nomine aperte insulsam pulcherrimi aenigmatis caudam efficiunt. Postremo adverbium πρίν, praesertim sic in principio sententiae collocatum, haudquaquam prorsus idem est, quod πάλαι olim, sed comparativam vim ubique plus minus reservat. Ergo Isth. VII. (VIII.) 68: ἐπεί νιν Ἀλκαθόου τ' ἀγὼν σὺν τύχᾳ ἐν Ἐπιδαύρῳ τε νεότας δέκετο πρίν. congruit cum adverbio πρόσθεν in Pyth. IX, 130. Haec omnia in causa sunt, cur ab interpretibus quam longissime discedam et, servata ante πρίν virgula, novam explicandi rationem proponam hancce:

Verba φέροις δὲ Πρωτογενείας ἄστει γλῶσσαν, ἵνα — Πύῤῥα Δευκαλίων τε — δόμον ἔθεντο πρῶτον verto: portes potius (os) Protogeniae urbi linguam eo, ubi Pyrrha Deucalioque primum sibi condiderunt domicilium, ita ut Πρωτογενείας ἄστει dativus sit commodi, ante ἵνα autem ἐκεῖσε trita ellipsi suppleatur. Cfr., si tanti est, Krueger. gramm. gr. §. 51, 13. not. 9. Protogeniam intelligo celeberrimam Deucalionis et Pyrrhae filiam, Protogeniae urbem non Opuntem, ubi nata heroina, sed, ut par est, Pisam in Elide ad Alpheum sitam, ubi postea habitabat et regnabat, cujus gratia Pindarus novum argumentum se electurum esse subtiliter comminiscitur, utpote Olympicam victoriam celebraturus. Idem quod Protogeniae urbem appellat, eo jam ostendit novam materiem, generis humani creationem: nec vero jam locum adjicit, ubi incunabula quaerenda sint, imo credas hactenus, poetam cum plurimis primam Deucalionis et Pyrrhae sedem post diluvium Epirum et regionem Dodonaeam statuere, ἀρχαίαν Ἑλλάδα. Vid. Aristot. Meteor. I, 14. et cfr. Mueller. Aegin. p. 159. Wachsmuth. Antiqq. Hell. I, 1. p. 310. Tum os canendo persequi horum semitam jubet, ubi primum resorpti fluctus et exsiccatio stagnationem aquarum Jovis artibus hauserit. Quodsi iterata oris allocutio per se suadet, idem diutius retentum iri argumentum, diluvium, quod ante tacuerat poeta, revera Deucalioneum est ac suo loco commemoratur, quamvis descriptio communi Graecorum famae concinat, id quod formula λέγοντι μὰν satis confirmatur. Videsis λέγοντι δὲ Ol. II, 31. λέγεται μὰν Nem. IX. 39. φαντὶ δ' ἀνθρώπων παλαιαὶ ῥήσιες Ol. VII, 54. φαντὶ δὲ Pyth. I, 52. φαντὶ γὰρ Jsth. VII. (VIII), 46. Haec enim interponendo detinet moraturque audientium animos et attentissimos facit, quam tandem in regionem Pyrrha Deucalioque pedem intulerint, quaeque terra primis Lais et indigenis deinceps regibus glorietur, quod quanti Graeci semper fecerint, Arcadum et Atticorum praeconium inde petitum luculenter demonstrat. Nec tamen nude dicit: vestra in terra Lai geniti sunt, nec potuit profecto sine magna lyrica audacia et contorta sonantis orationis vi talia proferre, postquam supra vs. 47. genituram Laorum sine concubitu evidenter indicavit. Aenigma igitur adest, sed alius opinor generis.[5]) Iam quomodo steterit proposito ostendere nostrum erit.

5) Mea sententia ad Pindaricum sermonem illustrandum perutiles sunt tragicorum loci de domo Labdacidarum, qualis Sophocleus Oed. R. vs. 1403. sqq: ὦ γάμοι γάμοι | ἐφύσαθ' ἡμᾶς, καὶ

Vs. 57. sqq. κείνων δ' ἔσσαν χαλκάσπιδες ὑμέτεροι πρόγονοι ἀρχᾶθεν reddo: ad illos, sive ad prolem, quae inter se conjuncta populum effecit (vs. 48.), pertinebant majores vestri bellicosi ab initio. De genitivo partitivo cfr. Bernhardy. Synt. §. 46. p. 165. Krüger. gramm. gr. §. 47. 9. adn. 2. Adverbium ἀρχᾶθεν potest quidem sine magno sensus dispendio sequentibus adjungi, verum illic otiosum est, Japeti nomine sponte primordia gentis indicante, hic pondus suum accipit, si quidem ea laus Opuntiorum regibus propria, quod continuo lapideae soboli interfuerunt. Praestat igitur post ἀρχᾶθεν comma ponere. Quae sequuntur, Ἰαπετιονίδος φύτλας κοῦροι κορᾶν καὶ φερτάτων Κρονιδᾶν ita construenda sunt, ut genitivus κορᾶν etiam alterum genitivum regat: καὶ κοῦροι κορᾶν φερτάτων Κρονιδᾶν. Nam κοῦροι κορᾶν lapideam progeniem Pyrrhae exprimunt, qua in locutione non de nihilo vocabulorum congenerum parechesis ad aures accidit, quanquam alterum metri causa Jonicam epenthesin vocalis ῦ praebet, non „honorifica appellatione" utrumque excusandum, sed mirae geniturae exemplar, quoniam Lai statim puberes nati sunt, mater ipsorum virgo mansit (vs. 44. ἄτερ εὐνᾶς). Pyrrham autem maluit poeta afferre genitricem, quam Deucalionem patrem, tum quia virgineae matris mentio miraculum subtilius et concinnius indigitat, Deucalionis proprie per lapides maribus procreatis, tum vero quod optimatium Locrensium nobilitas e muliebribus majoribus deducebatur, quae insuper in mythis populi non infimum locum sibi vindicant. V. Polyb. XII, 5. cfr. Heyn. Opusc. Acad. t. II. p. 53. sq. Boeckh. expll. ad vs. 15. 16. huj. carm., de Maera Nitzsch. ad Hom. Od. XI. vs. 326. p. 255., de Physcoa nos paulo infra. Muliebres igitur majores ut a prima origine repeteret, ad avorum nomina poeta descendit. Pyrrhae parentes Epimetheus et Pandora, Epimethei pater Japetus, Pandoram Hesiodo auctore Vulcanus, Jovis filius, fabricatus est παρθένῳ αἰδοίῃ ἴκελον, Κρονίδεω διὰ βουλάς, ceteri dii exornarunt. Vid. Opp. et D. vs. 50. sqq. Theog. vss. 535—595. Un de jure suo Apollodorus bibl. I, 7, 1. Πύῤῥαν τὴν Ἐπιμηθέως καὶ Πανδώρας, ἣν ἔπλασαν θεοὶ πρώτην γυναῖκα. Itaque recte Pindarus plurali numero dicit καὶ φερτάτων Κρονιδᾶν, ubi φέρτατος, ut saepius superlativi, comparativam vim habet, cfr. Hom. Od. V, 105. Jl. XIX, 95. Hesiod. Theog. 887. Pind. Nem. XI, 6. vid. Bernh. Synt. p. 438. Habes igitur miram gentem, puberes virginum matrum, quarum origo et

φυτεύσαντες πάλιν — ἀνεῖτε τ' αὐτὸν σπέρμα, κἀπεδείξατε — πατέρας ἀδελφοὺς παῖδας αἷμ' ἐμφύλιον, — νύμφας γυναῖκας μητέρας τε, χὠπόσα — αἴσχιστ' ἐν ἀνθρώποισιν ἔργα γίγνεται. Citat verba Longinus de sublimitate XXIII, isto exemplo observationem huic etiam loco aptissimam demonstrans: ὅτι ἔσθ' ὅπου προσπίπτει τὰ πληθυντικὰ μεγαλοῤῥημονέστερα, καὶ αὐτῷ δοξοκομποῦντα τῷ ὄχλῳ τοῦ ἀριθμοῦ. Deinde laudatis his versibus addit: πάντα γὰρ ταῦτα, τὰ μὲν ἓν ὄνομά ἐστιν, Οἰδίπους, ἐπὶ δὲ θατέρων Ἰοκάστη, ἀλλ' ὅμως χυθεὶς εἰς τὰ πληθυντικὰ ὁ ἀριθμὸς συνεπλήθυσε καὶ τὰς ἀτυχίας. Universim de emphatico illo familiae vel gentis plurali acutum Boeckhii praeceptum ad Pyth. II, 25 sufficit.

paterna et materna maribus debetur, recteque paterni majores ante maternos nominantur. Nam ut Quintiliani verbis utar IX, **4**, **24**: „est et alius naturalis ordo, ut viros ac feminas, ortum et occasum dicas potius, quam retrorsum.“ Iam ultima *ἐγχώριοι βασιλῆες αἰεὶ* tantum abest, ut exili macroque sensu quasi ad absolvendum epodi ambitum adjiciantur, ut universae sententiae cardinem vertant et opertam adhuc orationem confestim in propatulo ponant. Quibus duae res stricte significantur, tum Locrorum terram s. Opuntem Laorum patriam fuisse, quod quidem praecedentia praeparant, tum vero Locrorum reges, Amphictyonem, Physcum, Locrum post Deucalionem continua serie (*αἰεὶ*) indigenas terrae reges mansisse, aliis Lais in alias terras abeuntibus. Hunc usum, summam sententiae in attributo ponendi primus Hermannus in participio Graeco observavit ad Soph. El. **1312**. Aj. **1113**; plura dedit Hertzbergius Q. Prop. II. **6**. §. **23**. p. **142** et ad El. I, **8**, **21**. II, **16**, **16**. Praeterea audiendus elegans inprimis poeseos Graecae arbiter Bernhardyus in hist. litt. Gr. II. p. **531**., licet locorum communium ille ratione habita: der innere Zusammenhang (ist) oft mehr angedeutet, im einzelen selbst symbolisch verhüllt und gleichsam punktirt, als in übersichtlichem Fluss entwickelt und fasslich gemacht; ein grosses kernhaftes Wort, das er abgerissen auf einen bedeutsamen Platz zu stellen liebt, will mit Ruhe gefasst und verarbeitet werden. Epodo virgula clauso quod stropham tertiam incipit *πρὶν* est priusquam, atque indicativus *μίχθη* legitimus in historica narratione, cfr. Krüger gr. gr. §. **54**, **16**. adn. **1**. Itaque *ὕμνοι νεώτεροι* vs. **53**. et Laos Locrenses spectant, qui sacro vate hucusque caruerant, et advenas Epeos. Ceterum satis, credo, laudantur invicem et Opus et Olympia, si primam illa Epeis reginam dedit, haec labens ibi solium nova prole Saturnia recens fundavit. Sin recte Boeckhius Epeae gentis eosdem auctores a matre constituit, qui Laorum Locrensium sunt, conjunctio *πρὶν* tantum clausulam epodi *ἐγχ. β. α.* respicit. Quod superest, pro *πόλιν δ' ὤπασεν λαόν τε διαιτᾷν* malim facillima mutatione *Λαῶν τε δίαιταν* majore initiali scriptum et medium inter utrumque accusativum. Infinitivus enim post verbum *ὤπασε* superfluus, *λαὸν* autem pauci codd. exhibent, plerique *λεὼν* Atticum, quod ut Triclinii aliusve metrici vitium damnavit Hermannus. Cum his vetustissimae urbis laudibus, quibus celebrandis priscorum Japetidarum nomen vs. **59**. inservit, concordat etiam metropolis Locrorum praeconium vs. **22**. Nam recte Boeckhius verba *Λοκρῶν ματέρα* non cum Heynio civium nutricem, sed genitricem interpretatur, ut quae Epicnemidiis Locris primam dederit originem. Quae quidem parvula regio est, verum Ozolae quoque Locri ab Opuntiis oriundi erant, si fides est Ephoro ap. Scymn. Chium vs. **480**. et Eustathio ad Hom. Il. II, vs. **531**. p. **277**. **20**[6]). Quid multa? Exstat epigramma a Strabone IX, p. **650**. servatum, quod Simonidi tribuunt Schneidewinus et Bergkius poett. lyr. Gr. p. **777**, **100**: *Ὁ Ὀποῦς ἐστι μητρόπολις Λοκρῶν, καθάπερ καὶ τὸ ἐπίγραμμα δηλοῖ τὸ ἐν τῇ πρώτῃ τῶν πέντε στηλῶν τῶν περὶ Θερμοπύλας, ἐπιγεγραμμένον πρὸς τῷ πολυανδρίῳ·*

Τούςδε ποτὲ φθιμένους ὑπὲρ Ἑλλάδος ἀντία Μήδων
μητρόπολις Λοκρῶν ἥδε κέκευθ' Ὀπόεις.

Iam Hesiodus est instar omnium, cujus fragmentum ap. Strab. VII, p. **496**. integrum adscribere juvat:

Ἤτοι γὰρ Λοκρὸς Λελέγων ἡγήσατο λαῶν,[7])
τούς ῥά ποτε Κρονίδης Ζεὺς ἄφθιτα μήδεα εἰδὼς
λεκτοὺς ἐκ γαίης ἀλέους πόρε Δευκαλίωνι.

In ultimo versu Goettlingius, quem praeivit Salmasius, hunc Pindari locum et Homericum Il. XXIV, **611**. respiciens *ἀλέους* in *λαοὺς* mutavit. Nam etiam Hesiodus hanc derivandi rationem novit, v. Theog. v. **209**. Praestat tamen cum Heinsio, Wesselingio et Schneidewino *ἀλέας* scribere. Epim. Hom: *Ἡσίοδος παρὰ τὸ ἀλὲς τὸ σημαῖνον τὸ ἀθροῦν*, quae ad hoc fragm. referenda esse patet ex Etym. Gud. p. **362**, **21**. Itaque Locrus Opuntis rex recte Laorum urbem gubernasse dicitur. Cujus a patre Physco Plutarcho teste fragm. Gr. **15**. gens Locrensis Physceis vocata est. Eundem, Amphictyonis et Chthonopatrae (sic!) filium antiquitus universis Locris nomen Physcis indidisse Eustathius tradit ad Iliad. II, vs. **531**. p. **277**. ed. Rom: *Ἀμφικτύονος καὶ Χθονοπάτρας ἀπόγονος Φύσκος, οὗ Λοκρὸς, ὧν ἀπὸ μὲν Φύσκου Φύσκοι πρώην, ἀπὸ δὲ Λοκροῦ Λοκροὶ οἱ αὐτοὶ ὠνομάσθησαν.* Cfr. Stephan. Byz.[8]) Jam vero Pausaniae octonae mulieres Pisatidis, octonae propriae Elidis commemorantur, quae choro bipartito Heraeorum judicium exercuerint. Alter chorus Hippodamiae, Oenomai filiae nominatus est, alter autem Physcoae, quam celeberrimam pagi Elei olim heroinam fuisse tradit, V, **16**, **2**:

6) De Epizephyriis res majorem habet dubitationem, quos Aristoteles cum aliis magnae Graeciae civitatibus a bello Messeniaco deductos censuit, iccirco graviter reprehensus a Timaeo, acriter vindicatus Polybio. Videsis excerptt. XII, 5. et nunc potissimum exc. Vat. Maji. p. 384; conf. Dion. Perieg. vs. 366. ibique Eustathium. Sunt qui ab Ozolis illos probabiliore certe disputatione derivent, qum qui ab Opuntiis. Vid. Bernh. l. l. p. 611. Addo Strabonis locum VI, p. 397. C: *Λοκρῶν ἄποικοι τῶν ἐν τῷ Κρισσαίῳ κόλπῳ μικρὸν ὕστερον τῆς (ἀπὸ?) Κρότωνος καὶ Συρακουσῶν κτίσεως ἀποικισθέντες ὑπὸ Εὐάνθους. Ἔφορος δ' οὐκ εὖ, τῶν Ὀπουντίων Λοκρῶν ἀποίκους φήσας.* At vero ne opus quidem est recentiorum Italorum consortio ad sententiam nostram confirmandam.

7) Locros antiquitus Leleges fuisse consentiunt Aristoteles ap. Strab. VII, p. 494. Dicaearch. descr. Gr. v. 71. Scymn. v. 590. Dionys. Ant. R. I, 17. Constat tamen aliunde, Locros Hellenes fuisse, unde concludere licet, Leleges ab Hellenibus non distare.

8) Idem Physci patrem, Amphictyonis filium memorat Aetolum, quae fama locupletiorum testium auctoritate caret. Neque aliam a schol. Hom. Od. XI. 326. servatam nunc curo, Pherecyde auctore Locrum Jovis et Maerae virginis filium dici.

Διὰ πέμπτου δὲ ὑφαίνουσιν ἔτους τῇ Ἥρᾳ πέπλον αἱ ἓξ καὶ δέκα γυναῖκες· αἱ δὲ αὐταὶ τιθέασι καὶ ἀγῶνα Ἡραῖα. — 5 Αἱ δὲ ἑκκαίδεκα γυναῖκες καὶ χοροὺς δύο ἱστᾶσι, καὶ τὸν μὲν Φυσκόας τῶν χορῶν, τὸν δὲ Ἱπποδαμείας καλοῦσι. τὴν Φυσκόαν δὲ εἶναι ταύτην φασὶν ἐκ τῆς Ἤλιδος τῆς κοίλης, τῷ δήμῳ δὲ ἔνθα ᾤκησεν, ὄνομα μὲν Ὀρθίαν εἶναι. ταύτῃ τῇ Φυσκόᾳ Διόνυσον συγγενέσθαι λέγουσι, Φυσκόαν δὲ ἐκ Διονύσου τεκεῖν παῖδα Ναρκαῖον. — Φυσκόας μὲν δὴ γέρα καὶ ἄλλα καὶ χορὸς ἐπώνυμος παρὰ τῶν ἑκκαίδεκα γυναικῶν. φυλάσσουσι δὲ οὐδὲν ἧσσον Ἠλεῖοι καὶ τἄλλ' ὅμως τῶν πόλεων. νενεμημένοι γὰρ ἐς ὀκτὼ φυλάς, ἀφ' ἑκάστης αἱροῦνται γυναῖκας δύο. Cfr. Strab. VIII, c. **3**. s. fin. Hinc recte concludere mihi videor, vividum mythicis temporibus inter Locros et Eleos commercium viguisse, nec post adventum Protogeniae desiisse, usque dum Opus novus rex illorum fieret. Quid, quod ipsum Opuntis nomen necessitudinem illam utriusque populi prodit? Nam inter *Ἐπειὸς* et *Ὀπόεις* sive *κατὰ συναίρεσιν Ὀποῦς* persimilis ratio intercedit, atque inter *τὸ στένος* et *στονόεις*, *τὸ τρέφος* et *τροφόεις* all., ita ut Opus Epeorum urbem designet, ac Pindarus dedita opera vs. **62**. *θύγατρ' ἀπὸ γᾶς Ἐπειῶν Ὀπόεντος* [9]) juxta collocaverit. Sequitur autem alibi quoque etymum in derivandis nominibus propriis, v. Ol. VI, **55**. VII, **64**. coll. 38. Ol. IX, **50**. Isthm. V, (VI.), **51**, quo pertinet etiam, ni fallor, Ol. XI, **53**. *πρόσθε γὰρ νώνυμος, ἅς Οἰνό-*

9) Apud Aeoles *ο* et *ε* aliquoties commutantur, ut *ἐδόντα ἔδοντα*, *ὀδύνας ἐδύνας*, *Ἀπόλλων Ἀπέλλων* (v. Boeckh. ad Corp. Inscrr. n. 1065. et ctr. intt. ad Greg. Cor. p. 597. sq.) *πρὸς πρές*, *Τροφωνίῳ Τρεφωνίῳ* Corp. I. n. 1588., *Ὀρχομενὸς Ἐρχομενός* n. 25. et saepius in titulis Boeoticis. Carmen nostrum Hermannus ad Lydiam harmoniam rettulit, quam Pindarus quater se adhibere testatur, Ol. V. (19), XIV. (17), Nem. IV. (45), VIII. (15). Et numeri quidem non repugnant, siquidem Pherecrateos et Glyconeos huic harmoniae maxime convenire constat. Sed eorum, quae dixi, carminum, multo breviores numerorum ordines et adstrictiora systemata sunt, neque per hoc carmen flebile aut dulce quicquam exprimitur, cui Lydia tibia apta sit. Quapropter magis facio cum Boeckhio, qui Ol. nonum Aeolio affine dixit. Praeterquam enim, quod Aeolicae dialecti vestigia adsunt, perquam distant epodi metra ab iis, quae in stropha sunt, licet utraque aptissime sese excipiant. Deinde stropha artificiocissime constructa est, cujus longum est praeludium vss. 1. 2., longior etiam clausula, quae fit ex repetitis rhythmi primarii et praeludii singulis partibus. Rhythmi autem maximam partem calidi, soluti et concitati sunt, quo spectant sex Pherecratei vs. 3. 4. 5., quibus rhythmus primarius explicatur, Phalaeceus vs. 2., Glyconeus vs. 8, Creticus vs. 10, Dactylici logaoedici et catalectici str. vss. 2. 7. 9. 10. 11. epod. vs. 4, Adonium vs. 5. 6. 7. 8, Anapaesti logaoedici epod. vs. 2, puri str. vs. 1. epod. 3, jambi epod. vs. 1. Accedit creber anacruseos et baseos usus. Quod autem Boeckhius huic carmini Locricam harmoniam subesse ait, parum verisimilis conjectura est. Nam Ol. XI. quod attinet, Epizephyrii Locri certe Xenocritum civem sibi vindicant, eosdemque Pindarus in hoc ipso carmine musicae peritos dicit, Opuntios non item. Ceterum *Λοκρικὰ ᾄσματα* in l. XIV. et *παίγνια* Mnaseae Locri in l. VII. Athenaei commemorata multo seriorum temporum sunt.

μαος ἄρχε, aeque ab interpretibus neglectum, cfr. Eustath. ad Il. 893, 7. 928, 59. Nae istae etymologicae argutiae, inquit, tandem aliquando valeant, neve diutius purum melicae orationis fontem inquinent. Audio, et ingenue profiteor, his saltem extremis summi viri, Odofredi Muelleri sapientiam me compilavisse in Mus. Rhen. I, p. **176**, quum neque meae explicandi rationi obsit, et Boeckhii copias mediocriter augeat. Ceterum clarissimus interpretum hac occasione oblata doctissime et luculentissime, ut solet, de antiquitatibus Locrensibus disseruit.

Vss. **86**. **87**. *εἴην εὑρησιεπὴς ἀναγεῖσθαι πρόσφορος ἐν Μοισᾶν δίφρῳ·* Boeckius cum schol. rec. ita distinguenda esse docet, ut infinitivus *ἀναγεῖσθαι* sequentibus adjungatur sensusque sit: utinam sim carminum inventor, utinam sim aptus ad ulterius provehendum in curru Musarum; „nec proprie hoc loco de narratione accipi debet, ut Nem. X, **19**., sed dum canit, dum narrat, procedit curru Musarum." In quo quum periodus minutatim concisa et distorta orationis membra displiceant, tum *εὑρησιεπὴς* copiosus (v. Suid. s. v. *εὑρεσ.*) et proinde loquax in Aristoph. Nubb. vs. **447**. nude positum mirum quantum languet. Quin propria hac in causa *ἡγεμόνος* notio aurigae, quae apud Sophoclem obviam venit in Oed. Tyr. vs. **804**, ubi v. Schaefer., tantum non necesse est ad sequens *ἕσποιτο* vs. **89**. comparetur, ideoque facili errore seduxit Tafelium Dilucc. Pind. I, p. **362**., ut poetae aurigae curru vectas Audaciam et Vim comites statueret. Miror, cur non V. D., alibi allegoriae satis studiosus, virtutum nomine victores Epharmostum et Lampromachum significatos esse pergat. Dissenium autem dubius haereo utrum similes scrupuli moverint, an praecepta ad Ol. VI, **23**. de curribus Mussarum sententia. Boeckhii enim structura verborum servata vertit: Essem fabularum (mythorum) inventor, e. q. s., cui plura etiam obstant. Atque nudus quidem optativus *εἴην* in hunc modum explicatus quam tenuiter altero loco Ol. III, extr. defendatur, dissidentes sapientium arbitrorum voces luce clarius ostendunt. Inter quos Reisigius (de particula *ἂν* ad Aristoph. Nubb. p. **126**), quum conditionalem illam voculam aegre desideret, *κεῖνος εἴην* proponit: sit mihi felicitas Theronis. Qui jam idem pronomen agnovit scholiasta explicat: utinam ille sim, scil. *ὁ τῶν δυνατῶν ἐφιέμενος*, sed utique poeta *τοῖος* praetulisset, neque ejusmodi sensus facili negotio extricetur. Rursus Hermannus in egregia illa dissertatione Opuscc. Vol. IV, l. III. c. **5**. p. **161**. opinionem sine conditione inesse censet, quanquam conditionem quomodo expellere liceat, nondum assequor [10]). Utut est, insulsa quum omnino triplex illa gloriatio, tum secunda pars tam

10) Etiamsi in Boeckhianam rationem concedamus, praestabit tamen *κεινὸς* ad *ἄβατον*, quam ad *τὸ πόρσω* referre. Quid, si carmen illud interrogationis signo claudimus: simne vanus? quippe qui invia et nefas persequuturus sim. Verius, ni fallor — mihi enim in his annotatiunculis devia quaerenti venia parata sit — contraria vice pronomen in substantivum mutandum apud

magnifice et splendide expressa, quandoquidem poeta res, quibus gloriatur, non peragit et aurigae divini munera et officia non exsequitur. Quod sui praeconium magis etiam hebescit iis, quae post opponuntur: *προξενίᾳ δ' ἀρετᾷ τ' ἦλθον*, quasi victoriae Epharmosti poetam cogant de curru Masarum descendere et pedestria sequi. A quibus toto coelo distant, quae Tafelius pro simillimis venditavit, Ol. II, **91.** sqq *πολλά μοι ὑπ' ἀγκῶνος ὠκέα βέλη ἔνδον ἐντὶ φαρέτρας φωνᾶντα συνετοῖσιν· ἐς δὲ τόπαν ἑρμηνέων χατίζει*, ubi tot heroum memoria conscientiam uberrimae venae ciet, non sine irrisione aemuli Bacchylidis, et Ol. XIII, **89.** sqq. *ἐμὲ δ' εὐθὺν ἀκόντων ἱέντα ῥόμβον παρὰ σκοπὸν οὐ χρὴ τὰ πολλὰ βέλεα καρτύνειν χεροῖν. Μοίσαις γὰρ ἀγλαοθρόνοις ἑκὼν Ὀλιγαιθίδαισίν τ' ἔβαν ἐπίκουρος Ἰσθμοῖ τά τ' ἐν Νεμέᾳ*, qui ipse locus nobis evidens et quasi factus videtur ad demonstrandum, hic tales gloriabundi poetae ambages Musarum currui non esse conventuras nihilque fore, nisi intempestivam farraginem. Neque nunc *τεθμὸς Ὡραί τ' ἐπειγόμεναι* (Nem. IV, **33.**) impedimento essent, quominus plures mythos annecteret, quae forsitan unice justam moderationis causam praeberent, sed proxenia Lampromacho a Thebanis delata [11]) ac virtus victorum. Accedit, quod arctum illud vinculum, quo Achillis et Patrocli personas cum Epharmosto et Lampromacho copulari Boeckhius acutissime sensit (vs. **76.** coll. vss. **90. 91.**), totum laxatur et solvitur. Denique illud moneo, aliud esse mendum apertum delere, aliud elegantiorem reddere, quae tamen probabilis esset, orationem.

Quae quum ita sint, ego cum veteribus scholiastis comma p o s t *ἀναγεῖσθαι* servandum duco atque optativo suam vim restituo: Utinam sim copiosus ad enarrandum, idoneus currui Musarum. *Πρόσφορος* est prorsus apud barbaros nostros z u t r ä g l i c h, *πρόσφορος ἐν* propemodum sensu dativi commodi usurpatum, uti Hom. Od. V, **234.** *πέλεκυν μέγαν, ἄρμενον ἐν παλάμῃσιν*, Fragm. ap. Herod. Vit. Hom. **31.** *ἵπποι δ' ἐν πεδίῳ κόσμος.* Adjectivum *εὑρησιεπὴς* infinitivum accipit tritissima apud Graecos structura, unde barbati

---

Apollodorum biblioth. l. III, c. VI, §. 2: *γενομένης γὰρ α ὐ τ ῆ ς πρὸς Ἄδραστοι, διαλυσάμενος ὤμοσε κτλ.* Gale *ὀργῆς* conjecit, Emperius *αἰτίας*, Sommerus *αὐτῷ στάσεως* in *αὐτῆς* latere suspicatur. Legendum est *ἀ ὐ τ ῆ ς*, vid. Pind. Nem. IX, 35., quae vox quamvis poetica sit, huic scriptoribene quadrat. Alias enim *βάσεις* pedes, *ὄψεις* oculi, *λάβρον πῦρ* I, IX, 28., *μοῦσαν μελῳδεῖν* I, 9, 25. leguntur, quin integros versus e poetis retinuit, cfr. Schaefer. Meletemm. critt. p. 88.

11) Proxeniae rationem et formulas egregie nuper Maurit. Meierus illustravit in commentatione, quae de proxenia s. de publico Graecorum hospitio inscribitur. Inde duplex genus proxenorum fuisse patet, alterum eorum, qui in ea civitate, cujus cives essent, commodis alterius civitatis consulerent, quae proxeniae honorem illis detulisset, alterum eorum, qui non a republica nominabantur, cujus res aliquo modo curabant, sed a sua ipsorum patria. Prius genus volgarius est eique haud dubie Lampromachus adnumerandus.

magistri crebras Latinorum imitationes Graecas vocitarunt. Cfr., si tanti est, Krueger. gramm. gr. §. 55. 5. annott. **7. 8. 10.** Verbum autem *ἀναγεῖσθαι* Pindaro alibi quoque est e n a r r a r e, o r d i n e r e c e n s e r e, Nem. X, **19.** *βραχύ μοι στόμα πάντ' ἀναγήσασθ', ὅσων Ἀργεῖον ἔχει τέμενος μοῖραν ἐσλῶν*, et Isthm. V (VI), **53.** *ἐμοὶ δὲ μακρὸν πάσας ἀναγήσασθ' ἀρετάς.* Hinc simul apparet, poetam periculosae plenum opus aleae habuisse tot victorias carmine persequi, quot Epharmosti hic singulatim celebrat, adjectis in cumulum Lampromachi laudibus [12]). Ut igitur Homerus ante indicem navium Musas invoca-

---

12) Ut numeros et genera victoriarum et nomina locorum non solum accurate memoriae proderet, sed digne etiam et ornate eloqueretur, Pindarus variis artibus usus est. Quorum ut insignia quaedam afferam, huc pertinet consuetudo, locorum et Dearum notiones in laudandis victorum patriis miscendi, vid. Pyth IV, 3. 4. 14. 15, IX, 71, XII, init. Nem. I, init. Ol. VIII, init. His non ingenii ludibria, sed veras Deas et creditas populo poeta ob oculos ponit, id quod ipsae urbium tanquam Dearum statuae satis ostendunt, cfr. Dissenium ad Isth. I. edit. Boeckhdocte disputantem. Et quoniam plurimarum civitatium Deae praesides eodem quo ipsae nomine nuncupari solent, Aegina, Cyrene, Thebe, Mycene, Rhodus, aliae, quemadmodum Dea Roma vocatur et urbs Roma atque urbis et Deae Poliadis nomen commune est: exinde promta et parata lyrico excusatio est, praesertim quum hac ratione prooemia carminum egregie variare calluerit atque exornare. Quodsi civium mores in has heroinas transferuntur ac v. c. Thebe mater Ol. VI, 85. ***πλάξιππος Θήβα***, Telesicrates Pyth. IX, init. ***διωξίππου στεφάνωμα Κυράνας*** audit, non est quod valde miremur, quibus ***φιλάρματος πόλις***, ***τεκεῖν πόλιν ἄνδρα***, vix speciem figuratae orationis offerunt, nisi aut tropus fortius exprimitur, uti murus Trojanus Ol. VIII, 36. ***λάβρον ἀμπνεῦσαι καπνόν***, Achilles Isth. VII (VIII) 53. ***Τροΐας ἶνας ἐκταμὼν δορὶ*** dicitur, aut periphrasis substantivi adest, ut Pyth. IX, 86. ***λευκίπποισι Καδμείων ἀγυιαῖς***, quod „nemo nostrorum poetarum imitabitur." Lob. ad Soph. Aj. p. 73. Plus etiam offensionis praebent Isth. I, 3. ***μή μοι κραναὰ νεμεσάσαι Δᾶλος***, Pyth. IX, 57. ***εὐρυλείμων πότνια Λιβύα***, coll. IV, 43. Ol. IX, 22. Hoc Pindari studium metonymiae attigit Eustathius ad Iliad ***τ.*** p. 1175, 3. et ad Odyss. ***τ.*** p. 1875, 37. Cui non dispar usus poetarum communis, terrae et partibus ejus vitam quandam animamque tribuendi. Ita quem Homerus saepius mari dedit sinum Pindarus ad convallia mari propinqua transfert Ol IX, vs. 93. ***Νεμέας κατὰ κόλπον***, Ol. XIV, 23. ***κόλποις Πίσας***, Py. IV, 49. ***Ἀργείου κόλπου***, quin in Ol. XIII, 85. aetheri ***κόλποι*** suppeditantur. Cfr. Bernh. ad Dion. Per. p. **504.** Porro Pyth. IV, 9. urbs Cyrene condita dicitur ***ἐν ἀργάεντι μαστῷ***, vid. scholl. et Hesych. s. v., mons Aetna ***γαίας μέτωπον*** audit, Ol. XIII, 102. ***ἐπ' ὀφρύϊ Παρνασίᾳ*** praeeunte Homero Il. XX, 151, Pyth. II, 45 ***ἐν Παλίου σφυροῖς***, adde celeberrimam Delphorum significationem ***μέσος ὀμφαλὸς εὐδένδροιο ματέρος.*** Denique Homerus saepe ***νῶτα θαλάσσης***, Pindarus ***νῶτα γαίας*** exhibet Pyth. IV, 26. et ***βαθύστερνον χθόνα*** Nem. IX, 59. De hoc poetarum more dignissimus, qui conferatur, Eustathius ad Iliad. p. 308—310, qui ad Pindaricum *βωμοῖ θέναρ* provocat. Alias locorum circumscriptiones ut nunc mittam, Nem. X, 27. ***πόντοιο πύλαι*** pro Isthmo haud scio an in mentem venerit scholiastae, qui ***ἐν Κορίνθου πύλαις*** vs. 92. huj. carm. (vs. 125.) explicat: ***Κορίνθου πύλας λέγει τὸν Ἰσθμόν· ἐν τῷ τέλει γὰρ αὐτοῦ ἡ Κόρινθος κεῖται***, cfr. Isth. III, 38. ***καὶ γέφυραν ποντιάδα πρὸ Κορίνθου τειχέων.*** Itaque frustra Boeck-

vit easdemque preces Achilleae manus ante commemorationem repetiit, ἐμφαίνων ὅτι, ὥσπερ ἔργον ἔθετο τὸν κατάλογον ἁπάντων τῶν Ἀχαιῶν, οὕτω καὶ τὸ εἰπεῖν τοὺς ὑπὸ τὸν Ἀχιλλέα (Eustath. ad Il. p. 319.), ita simili in causa Pindarus Musarum currum appellavit, priusquam multas illas victorias enumeraret, quo praeterea ab heroicis temporibus ad praesentes res canendas idoneus transitus paratur. Denique huic carmini votum aptissimum ducimus, quo Pindarus totus id egit, ut Epharmosto divinitus et natura sua luctam edocto dignus vates evaderet. Itaque e nostra distinguendi ratione aequa et simplex manet membrorum dispositio, qua suum utrique adjectivo praedicatum additur.

Ceterum de curribus Musarum et Gratiarum interpretes poetarum certatim annotarunt. Atque diu quidem est, ex quo Wernsdorfii et Boettigeri de dramaticis plaustris cogitarunt. Hodie visendi Naekius ad Choeril. Fragm. I, p. 109., Boeckhius ad h. l. et ad Fragm. p. 615., Dissenius ad Ol. VI, vs. 26, praeter ceteros autem Bernhardyus ad Dion. Per. vs. 650., cujus de origine dictionis et usu Pindarico verba integra adscribere juvat: „Principio tenendum, quamvis Graeci a priscis inde saeculis luci et celebritati solennium ludorum adsuessent et palmam Olympiorum immortalitati compararent, istis tamen tanquam flosculis orationis et luxuriantibus gemmis usque eos abstinuisse, donec lyrici poetae, victorum illi publicorum laudatores, ejusmodi translationem ceteris suis deliciis adjunxerunt. Tum prono cursu id omne genus splendidarum formularum effundi, quibus et curriculum depingeretur poetae divinis equis, Musarum vel Charitum comitatu persequendum, et vates prodirent Musarum curribus insistentes, non sine domino quidem coelestis palmae, quaeque ad eundem ambitum sonantium verborum revolvantur, a Cicerone ad Qu. Fr. II, 15. leviter perstricta. Ex quo multi fuerunt in talibus locutionibus, quos fere possis hujus rationis principes auctores significare, Pindarus, Simonides, Bacchylides (vid. Fragm. XIII). Quorum Pindarus omnino modum excessit, cujus ex copia exemplorum saepe minus perceptorum satis habemus designasse Ol. XIII, 69. (47), coll. VI, 44. (27) et VII, 24 (13). Nem. I, 10 (7); unde leviter est illustris interpretis opinio refingenda, putantis ad Fragm.

---

hius hoc loco oonjecturam suam vs. 19. defendit ἔν τε Κασταλίᾳ παρὰ | Ἀλφεοῦ τε ῥέεθρον. Ibi Rom. et Vrat. A. ἴς σον τε exhibent, alii pejoris notae libri ἴσσον aut ἶσσον, unde, si aliqnid audendum restat in re trepida, ego hanc conjecturam propono:

θάλλει δ' ἀρεταῖσι
δισσὰ Κασταλίᾳ παρὰ
Ἀλφεοῦ τε ῥέεθρον.

Simplex enim dativus sufficit ad τὸ περίχωρον significandum, vid. Isth. I, 29. coll. Bernhardy. Synt. p. 202, δισσὰ autem pr. δισσῇ arborem bifurcam Opunti aequipararet, quae imago sequente attributo ἀγλαόδενδρον continuatur. Saltem scholium, quo Boeckhius fretus est, vel propter iteratam praepositionem ἐν levitatis notam in fronte gerit, itidemque fulcri τε ad metrum resarciendum famosus in contextu Pindarico usus.

615, Musarum currus, ubi currulis victoria celebretur, commode afferri.“ Qui quum fontem lyricae dictionis rectissime ludos publicos esse contendat, qui vix dici potest, quot imaginibus Pindari translationibusque originem dederint, tamen de loco, quem in principio posuit, dubitare licet paulisper, rectene huc referatur, necne. Alii enim verbis ἐγὼ ἴδιος ἐν κοινῷ σταλεὶς poetam cum nauta comparatum censent, coll. Pyth. II, 62. Nem. VI, 29. cujus imaginis a posteris, maxime ab Ovidio ad nauseam tritae item Pindarus primus auctor habendus erit. Nec jam Dissenii sententia ad Ol. VI, 26. prolata stare potest, magnificam illam metaphoram, ut par sit, tantum ad heroas et regias gentes ab heroibus ortas et equestribus studiis deditas pertinere, qua ductus scilicet novam h. l. explicandi viam ingressus est. Qui quod in Pyth. X, diaulo victori scripto verba ὅσπερ ἐμὰν ποιπνύων χάριν τόδ' ἔζευξεν ἅρμα Πιερίδων τετράορον propter regiam Aleuadum stirpem locum habere praecipit, nihil est: nam plurimi, quibus Pindarus carmina dicavit, victores atavis editi regibus sunt, atque ipsa victoriae per universam Graeciam celebritas generis nobilitatem facile aequasset et splendorem divini currus excusavisset. Quibus consideratis atque insuper Ol. I, 110. Isthm. II, 2. VII (VIII), 62. in partem vocatis equidem versicolori illi et volaticae metaphorae communem et certam arenam investigare nequeo; nam ne absentia quidem poetae, quam forsitan ratam et firmam ascendendi conditionem dixeris, ubique opus esse primum Olympium ostendit, neque ipsa maria fines ponere, quos migrare nefas sit, carmina insulanis scripta evincunt. Sin per incerta rerum traditarum vestigia, sagacius credo quam verius, auctorem imaginis indagare licet, Simonidis qui quidem aetatem tulerunt loci, anathema illud Anthol. Pal. VI, 213 (Bergk. ep. 147) τοσσάκι δ' ἱμερόεντα διδαξάμενος χορὸν ἀνδρῶν | εὐδόξου Νίκας ἀγλαὸν ἅρμ' ἐπέβης, et Anth. Pal. XIII, 28 (Bergk. ep. 150) Στρούθωνος υἱὸς, ἅρμασιν ἐν Χαρίτων φορηθείς, in censum venire vix possunt; nedum Bacchylides, Midyli filius nostro vel propter aetatem inventionis laudem eripiat. Primus enim Pindari locus est modo laudatus Pythii decimi, quod carmen Ol. 69, 3. a juvene viginti annos nato compositum est. Atque haud scio, an juvenilis ille lusus, quem Boeckhius subesse vidit, novam et inauditam poetae audaciam demonstret, quam deinceps alia versatilis tropi discrimina secuta sunt, donec in sicciorem formulam abiret. Huc refero praeter ceteros Isth. II, 2. et hunc Ol. IX. locum, quos merito contendas multiplici posteriorum poetarum tum Graecorum tum Romanorum usui exemplum praeivisse, adeo ut integra poesis genera, laudativum, eroticum, epicum hac metaphora continerentur atque ipse currus triumphalis immisceretur. Cfr. Hertzberg. comm. in Prop. II, 10, vss. 2. 19. 23. III, 1, 10. Hinc Himerius Orat. XXIX. p. 852. Ἀλλ' ἐπεὶ οὐκ ἐπὶ τῶν ἁρμάτων ἡμεῖς ὀχούμεθα, οὐδὲ τὰ ποιητῶν σπουδάζομεν.

Versus ultimus hujus carminis in editione Boeckhii est Αἰάντεόν τ' ἐν δαΐθ' ὃς Ἰλιάδα νικῶν ἐπεστεφάνωσε βωμόν, contra praeceptum Hermanni Doctr. Metr. p. 55., iota dativi non elidi, sed aut synizesi aut crasi cum sequente vocali coa-

lescere. Iam Boeckhius ad Ol. VIII, **48** (68), ut fugam vocalis defenderet et subtilitatem istam, a veteribus magistris in oculorum potius quam in aurium gratiam excogitatam, tandem aliquando exploderet, ad usum epicorum provocavit. Ita post Lehrsium Quaestt. Epicc. p. **47**. sqq. Spitznerus Excurs. VII. ad Iliad. *γ* **439**. accurata disputatione demonstratum ivit, tertio casui declinationis tertiae in numero singulari vocali insequente literam finalem propterea impune detrahi posse, quod Homerici loci omnes ejusmodi sint, ut nunc nomine nunc praepositione adjectis omnis ambiguitas evitetur. Quodsi hanc de epico usu observationem non fortuitam neque inutilem esse arbitror: at de Pindaricis, quos huc referunt, locis vehementer dubito, sitne revera dativus, an hunc casum, si adest, recte vocalis sequatur. Nam l. l. ***Κορίνθου δειράδ'*** eo lubentius simplicem loci accusativum agnosco, quo longius praepositio ***ἐπὶ*** abest. Cfr. Ol. IX, **76**. XIV, **20** Pyth. IV, **52**. **118**. **134**. V, **29**. **52**. VIII, **57**. Nem. X, **36**. Isth. III, **71**. VI, **18**., ut personae accusativos nunc mittam. Amat enim Pindarus nudos nominum casus et praepositiones simili in causa juxta collocare, quae ratio saepius fraudi fuit enarratoribus, qui ad prius nomen relegare solent, si quam praepositionem cum secundo vel posteriore etiam nomine junctam deprehendunt. Huc pertinent Pyth. II, **11**., quae vel Boeckhium fefellerunt, ibid. 59. IV, **130**. XII, **9**. Ol. VIII, **47**. Nem. III, extr. IX, **21**. Isth. II, **21**. VII, **35**. Ita in Nem. IX, **13**. aperte comma post ***στάσιν*** delendum est cohaerentque ***δεινὰν στάσιν πατρῴων οἴκων***, cfr. Apollod. bibl. III, c. VI, §. **2**. Quibus resectis tria tantum postpositarum praepositionum exempla restant, Pyth. I, **14**. Isth. V, **69**. in comparatione itemque Nem. VII, **39**. praeter tritissimum voculae ***σὺν*** hyperbaton Pyth. VIII, extr. Nem. X, **38**. **53**. fragm. **60**. Pyth. IV, **10**[13]). Ut redeat, unde deflexit, oratio, alter locus exstat in Nem. IX, vs. **23**: ***νόστον ἐρυσσάμενοι λευκανθέα σώματ' ἐπίαναν καπνόν***. Ibi ego cum Dissenio appositionem syntacticam agnosco: a l s b l a s s e L e i c h n a m e, quae cui non probatur, is cum Bergkio ***σώμασι πίαναν*** e nonnullis codd. legat atque adjectivum cum fumo componat. Neque enim Dissenius neque Bergkius elisionem vocalis ferendam censuerunt. Eo magis miratus sum Ahrensii audaciam in progr. de crasi et aphaeresi, qui quum elisum iota pro

---

13) Ducem secutus sum Bernhardyum iu Synt. p. 202, cfr. Lobeck. ad Soph. Aj. p. 249. Ceterum non est quod dicam, ex hac explicandi ratione sententias poetae majores nervos ac veneres nancisci. Quam vero in deliciis sit Pindaro sermonem variare, diversae quoque praepositiones simili sensu adhibitae egregie confirmant. Quo spectant Nem V, 7, VIII, 11. 12. V, 2. Isth. III, 59. Pyth. V, 119. Ol. VI. 10. Praeterea saepe in victoriis recensendis unde et ubi reportatae sunt loci proxime se excipiunt. Itaque ab hac parte ea, quam supra attigi, Boeckhii conjectura vs. 19. h. carm tuta foret, dummodo ***ἐν*** fontis viciniam significare posset. Pariter meam suspicionem his munitam vides, unde ambages illas, precor, boni consulas. Aliud enim est totum Pindarum enarrare, aliud singularem de paucis locis commentationem scribere.

explorato habeat, atque ita agat, quasi futilis illa doctrina nulla amplius refutatione egeat, tertio exemplo Pindarum donare non dubitat. Nam in Nem. X, **15**. e lectione Ald. et Rom. l. l. *ἔναρεν. τί οἱ ὄψιν* post multa aliorum tentamina elicuit: ***ἐπεὶ ἐν χαλκέοις ὅπλοις Τηλεβόας ἐνάροντ' ὄψιν οἱ ἐειδόμενος ἀθανάτων βασιλεὺς κτλ.*** Cui illud concedo, ***οἱ*** ab iis transpositum esse, qui digammi vi syllabam antecedentem produci ignorarent, veluti jam Heynius in Isth. V (VI), **39**. ***τοιοῦτον ἔπος*** haud dubie recte invenit. Verum illi loco et faciliorem et meliorem medicinam afferre mihi videor hancce:

> *θρέψε δ' αἰχμὰν Ἀμφιτρύωνος. ὁ δ' ὄλβῳ φέρτατος*
> *ἵκετ' ἐς κείνου γενεὰν ἐπεὶ ἐν χαλκέοις ὅπλοις*
> *Τηλεβόας ἔναρ', εὖτ' ὄψιν οἱ ἐειδόμενος*
> *ἀθανάτων βασιλεὺς αὐλὰν εἰςῆλθεν.*

Superest hic Ol. IX. versus, in quo fieri non potest, ut dativus, codd. non interpolatorum auctoritate tutus, loco moveatur. Atqui quod iidem libri omittunt, relativum cum Hermanno et Bergkio furcis expellendum duco. Nam quod Dissenius praecipit, ***τε — ὅς*** perinde valere atque ***ὅςτε***, mihi ad hunc diem novum et inauditum est. Neque tamen Bergkius relativo extruso, nomine ***Αἰάντεον*** in ***Αἰαντέων*** mutato, ceteris servatis dignum universo carminis affectu exitum effecit, quippe quum non solum Aeanteorum ludorum commissatio Olympici oleastri gloriam claudo pede excipiat, sed indicativus etiam post triplicem attributorum gradationem mirum quantum frigeat, id quod ipse V. D. adnotatione sua videtur confiteri[14]). In eandem fere vituperationem Hermanni conjectura

---

14) Ultima carminis pars a versu 107. mea sententia a Dissenio male habita est. Nam quod unum Epharmostum celebrari praecipit, quippe qui suopte ingenio luctam edoctus tot tantasque victorias reportaverit: mihi generales sententias accurate consideranti et cum similibus locis componenti Pindarus non magis victoris quam suam ipsius gloriam videtur curasse. Ita quam tacito consensu majorum comprobatam, quasi imaginem ex ore Graeciae primo expressam, in principio posuit sententiam: ***τὸ δὲ φυᾷ κράτιστον ἅπαν***, ea alibi non usus est, nisi quum in suos adversarios gravius inveheretur, ut qui indolem ipsis denegatam arte et disciplina compensare frustra studerent. Vid. Nem. III, 39. 40. coll. 77. et 78., quibus Bacchylidem carpi scholia referunt, inprimis autem Ol. II, 95. sqq., ubi scholiorum narratio de Simonide et Bacchylide vel duali ***γαρύετον*** satis confirmatur. Addo scholl. ad Nem. IV, 37 (60) sqq. et ad Pyth. II, 53 (97), quae non centemnenda esse contra Thierschium Neuius ostendit in Bacchyl. fragm. p. 5. Inde illud pro certo affirmare licet, Pindari aequales poetas non faciles fuisse in suum cuique tribuendo, sed vel celebratissimos melicos non tam publicis certaminibus, quam privatis criminationibus artem aemulorum Musarum fautoribus suspectam reddidisse. Quibus fraudulentis machinis exacerbatus Pindarus interdum graviter in ejusmodi graculos invehitur, etsi tum propter obscuriorem orationem poetae, tum quod personarum, temporum, locorum rationes parum constant, ulterius progredi hodie non possumus, quam ut verisimilia videamus. Verum e nostro loco quum nulla ira aliave certa animi aegritudo eluceat, non fas

cadit, quam ad Eurip. Iph. Aul. vs. **1127**. protulit: *ὁρῶν τ' ἀλκὰν Αἰαντέων ἐν δαιτὶ Ἰλιάδα*, ut **κλίμακος** illius deletae detrimentum nunc taceam. Quae quum ita sint, eum, qui novis conjecturis vexato loco subvenire velit, nemo facile acta agere dixerit. Equidem quantum video, unica salus a scholiis repetenda erit, quae exponunt: *θυσίαις καὶ στέμμασι κατεκόσμησεν*. Illa igitur neque praepositionem *ἐν* agnoscunt, quae metrum pessumdat ideoque a Rom. libro et codd. parte abest, neque singularem *δαιτί*. Praeterea participium *νικῶν* satis otiose in cumulum laudis accedit, quamvis tempus praesens plurimis et scriptorum et inscriptionum exemplis excusetur, cfr. Boeckh. expll. Pind. p. **219**. et ad Corp. Inscr. n. **213**. Itaque scholiorum auctoritate fretus hunc versum propono:

Αἰάντεόν τε δαισὶ Ἰλιάδα δικόντ' ἔπι στεφάνοις τε βωμόν.

De verbo *ἐπιδικεῖν* cfr. Pyth. IX, extr. *πολλὰ μὲν κεῖνοι δίκον φύλλ' ἔπι καὶ στεφάνους*, cujus participium quarto casu profecto aptissimum est praecedenti tam citatae atque succi et sanguinis plenae orationi. Intelligas verba velim de cunctis victoriarum, quas Epharmostus reportaverat, sacris et coronis, quae haud dubie Ajaci, heroi indigeti, in Aeanteo Opuntiorum perinde dedicatae sunt, ac v. c. Aeginetae ludorum victores in Aeaceo coronas Aeaco dedicatas suspendere solebant, cfr. Nem. VI, **17**. VIII, **13**. V, extr. Iam vero ne dissimiliores litterarum ductus censeas, quam qui sola librariorum alucinatione in scripturas vulgatas transire potuerint, et rei diplomaticae et crisis Pindaricae historia vetat. Ut non absimile exemplum afferam, in Ol. II, **74**. recte Boeckhius Pauwii emendationem ex vetere scholiasta recepit: *ὅρμοισι τῶν χέρας ἀναπλέκοντι καὶ κεφαλάς*, omnibus codd. *καὶ στεφάνοις* praebentibus. Neque causa obscura, cur hic et scholiastae et librarii in communem illum errorem compulsi sint; qui quum formulam *Αἰάντεον Ἰλιάδα βωμὸν* concoquere non possent, exinde de Aeanteis ludis cogitantes (plurali opus

est de certis quibusdam adversariis cogitare. Hic potius persimili sententiarum colore ac nexu universam eorum catervam incusat, qui invita Minerva ad poesin delati sint, itemque eos homunculos non sine magna generaliter loquendi arte comprehendit, qui facti, non nati luctatores ex institutione demum gloriam capere studuerint. Sic omnis lis scholiastarum inter Pindarum et Epharmostum ambigentium facili opera dirimitur. Rem ita se habere, ultimi praecipue carminis versus mihi extra omnem dubitationem posuerunt, quibus suum carmen victoriis Epharmosti par et congruum dicit, ita ut **τοῦτο ἄθλον** i. e. carmen eandem emphasin habeat, quam **τόνδε ἀνέρα**. Neque etiam **σοφίαι** vs. 115. excellentiam in aliquo genere artis quocunque exprimunt, sed ea complectuntur, quae ingenio duce bene et prudenter aguntur; cfr. vs. **41**. huj. c. et Ol. II, **94**. **σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾶ.** Hanc autem sententiam intuens in eaque defixus Pindarus jam in fastigio gloriae constitutus atque Epharmosto luctatori non impar poeta aptam duxit, qua singulas carminis partes quum ceteras tum mythicas quasi communi quodam filo contineret. Videsis modo vs. 28. *εἰ σύν τινι μοιριδίῳ παλάμᾳ κτλ*, vs. 30. *ἀγαθοὶ δὲ καὶ σοφοὶ κατὰ δαίμον' ἄνδρες ἐγένοντο*., vs. 111. *ἄνευ δὲ θεοῦ κτλ.*, vs. 118. *τόνδ' ἀνέρα δαιμονίᾳ γεγάμεν εὔχειρα κτλ.*, ut in singulis subsistam.

esset) tantas in singulis turbas necessario moverunt. Quid, quod nostro saeculo Graecae linguae Professor P. O. Ahlwardtus eandem tanquam miraculum inauditum condemnavit, dum annotat: „Nemo facile dixerit: Herculea Amphitryoniadae ara.“ Quo nihil aliud docuit, nisi se ipsum paratum fuisse, similem qualemcunque stragem edere, si nondum exstaret, priusquam CODD. Neapoll. ruina cetera opprimeret, quae Neapolis nescio an in luna fuerit. Scilicet immemores fuerunt Homerici Il. II, **54**. *Νεστορέῃ παρὰ νηῒ Πυλοιγενέος βασιλῆος*. Neque multum distat Il. V, **741**. *Γοργείη κεφαλή, δεινοῖο πελώρου*. Ad utrumque locum illustrandum Eustathius p. **172**, **28**. et p. **601**, **34**. Sophocleum adscripsit Oed. R. vs. **267**: *τῷ Λαβδακείῳ παιδὶ Πολυδώρου τε καὶ | τοῦ πρόσθε Κάδμου, τοῦ πάλαι τ' Ἀγήνορος*, quanquam minime eodem modo dicitur navis Nestorea regis Pylii, quo Lajus Labdacius filius Polydori: nam navis est Nestoris Pylii regis, non item Lajus filius Labdaci cuiusdam Polydori. Contraria ratione Pindarus in Pyth. XI, **19**. *Δαρδανίδα* (accus.) *κόραν Πριάμου Κασσάνδραν* conjunxit; ei autem, qui agmen ducit, hunc fere locum aequiparavit, non immemor opinor Homerici *Ὀϊλῆος ταχὺς Αἴας*. Nec male Bergkius Ol. I, **23**. *Συρακόσιον ἱπποχαρμᾶν βασιλῆα* scripsit. Rursus in Isthm. III, **44**. *ἔν τ' Ἀδραστείοις ἀέθλοις Σικυῶνος* adjectivum a nomine proprio descendens genitivum annexum habet ex illo nomine pendentem. Praeterea Bernhardyus in Synt. p. **426**. **27**. laudat Rhesi prim. et paulo dubitantius Callimachi fragm. **202**., quem videas etiam ad Eustath. comment. in Dion. Perieg. p. **1002**. Addo Apollon. Rhod. IV, **1780**: *Εὐβοίης ἔντοσθεν, Ὀπουντιά τ' ἄστεα Λοκρῶν* —, atque e Latinis poetis Lucret. I, **475**: Ignis Alexandri Phrygio sub pectore gliscens —, Virgil. Georg. I, **222**: Cnosiaque ardentis decedat stella coronae, II, **66**. **181**. Aeneid. VI, **56**. X, **230**: Nos sumus Idaeae sacro de vertice pinus, Ovid. Trist. V, **3**, **42**: Conjugis in coelo Cressa corona tuae. Art. Am. II, **141**. et Rhesi cum duce castra suo; cf. Orell. ad Hor. Carm. I, **15**, **17**., Heyn. ad Aen. I, **115**., Osann. Syll. Inscr. p. **66**. not. **36**, et de Propertio Hertzberg. Quaestt. Prop. II, cap. VI, §. **24**. pp. **143** sqq. Ac primum quidem illico apparet, hac structura nervose et splendide in unam sententiam conferri, quae tritum ac vulgare dicendi genus duobus enunciatis continere soleat. Tum vero spernenda pinguis eorum doctrina, qui epitheton a suo substantivo scilicet divulsum et ad aliud translatum aut figura *κατὰ τὸ νοούμενον*, aut spissis hypallages, enallages, metonymiae nominibus tuiti sunt hodieque tuentur. Quin immo substantivo cum adjectivo juncto notionem primariam inesse, secundariam genitivo, quum haec ipsa exempla comprobent, tum luculentius etiam similia evincunt, in quibus cognata utriusque substantivi natura et internus quidam nexus est, ita ut in unam et inseparabilem notionem coalescant, ac proinde adjectivum vel pronomen possessivum rectissime ad nomen regens referatur. Viam iterum munivit Bernhardyus, qui l. l. haec addit: „Aesch. Cho. **1063**. *ἀνδρὸς βασίλεια πάθη* Königsleiden (objectiv) des Mannes, Soph. Trach. **817**. *ὄγκον ὀνόματος μητρῷον* die Mutterwürde deren Namen sie hat (Plat. Lach. pr. *παππῷον ὄνομ' ἔχει τοὐμοῦ πατρός* des Grossvaters, der mein Va-

ter war, coll. Apol. p. 29. D.), Xen. Anab. IV, 7, 22. *γέῤῥα δασειῶν βοῶν ὠμοβόϊνα*: weshalb die Dichter in allen Relationen von Substantiven, die zur objectiven Einheit verschmelzen, das Adj. dem bestimmenden zugesellen, Od. ξ'. 197. *ἐμὰ κήδεα θυμοῦ* mein Herzensleid (wonach zu beurtheilen Eur. Phoen. 30. Antiop. fr. 21.), Aesch. S. Th. 709. *περιθύμους κατάρας Οἰδιπόδα*, Agam 512. *δεκάτῳ φέγγει τῷδ' ἔτους* im zehnten Jahreslicht, Soph. Ant. 793. *νεῖκος ἀνδρῶν ξύναιμον* Verwandtenzwist, Eur. Or. 225. *ὦ βοστρύχων πινῶδες ἄθλιον κάρα* verwildertes Lockenhaupt." Hunc igitur in modum explico Pindarica: Pyth. VI, 5. *Πυθιόνικος — ὕμνων θησαυρός* Liederschatz, Ol. XIII, 95. *ἔξορκος — ἀδύγλωσσος βοὰ κάρυκος ἐσλοῦ* Heroldsruf, Isth. I. 53. *εὐεργέταν ἁρμάτων ἱπποδρόμιον* dem Rosslauf ein Wagenhort, Nem. XI, 22. *ἐλπίδες ὀκνηρότεραι γονέων* Elternsorgen. Faciliora etiam intellectu attributa substantivorum, quibus vulgo poeta ad periphrasin faciendam utitur: Pyth. IV, 144. *σθένος ἀελίου χρύσεον*, ibid. 155. *γηραιὸν μέρος ἡλικίας*, Ol. VIII, 75. *χειρῶν ἄωτον ἐπίνικον*, Pyth. XI, 58. *εὐώνυμον κτεάνων κρατίσταν χάριν* Besitzesfreude, Nem. III, 37. *χαλκότοξον Ἀμαζόνων μετ' ἀλκάν* Amazonenstärke, Isth. III, (IV) vs. 53. *Αἴαντος ἀλκὰν φοίνιον, τὰν — ταμών*, ubi sequentia ostendunt, majora molientem poetam ad hanc formulam esse delatum. Nam in Ol. I, 10. complurium et bonorum librorum lectio *σοφῶν μητίεσσι — ἱκομένοις* a Bergkio bene restituta videtur, quoniam in his constructio ad sensum (*σχῆμα πρὸς τὸ σημαινόμενον*) apud probatissimos quosque auctores multo crebrius invenitur, quam norma ad grammaticam severitatem exacta. Addo pronominis exemplum Pyth. IV, 225. *ὑμετέρα ἀκτὶς ὄλβου*. At Ol. XI, vs. 6. *ψευδέων ἐνιπὰν ἀλιτόξενον* recte Dissenius ex hoc numero excepit, „quod est alius personae *ψεῦδος*, alius *ἐνιπά*." Idem vero quod in Ol. IX, vs. 36. sqq. *βρότεα σώμαθ' ᾇ κατάγει κοίλαν πρὸς ἀγυιὰν θνασκόντων* in unum coire jussit *βρότεα σώματα θνασκόντων* pro *βροτῶν θνασκόντων*: meo judicio neque umbrae mortuorum *σώματα* dici, neque pleonasmus *βροτῶν θνασκόντων* potest ferri. Potius *βρότεα σώματα* mortales designant, dum vivunt et terrestri fruge vescuntur, ex sensu antiquorum hominum, quibus corpus mortalium summa, anima tenuis umbra videretur, cfr. modo Iliadis primordium: *ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν ἡρώων, αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν.* Accedit, quod hic de proelio ad Pylum commisso sermo est. Itaque *κατάγειν* non est deducere, quasi Pluto Mercurii *νεκροπόμπου* partes agat, sed facere s. cogere, ut descendant, virgula illa mortalium corpora sopiente. Sic verbo Medea apud Euripidem utitur vs. 1010. *ἄλλους κατάξω πρόσθεν ἡ τάλαιν' ἐγώ*, ac primum hujus significationis vestigium jam in Homericis deprehenditur *χρειώ με κατήγαγεν εἰς Ἀΐδαο* Od. XI, 164. Denique *κοίλαν πρὸς ἀγυιὰν θνασκόντων* est ad vicum Orcinum, in quo ne participio praesentis offendaris, videsis Soph. El. 113. *τοὺς ἀδίκως θνήσκοντας* „injuste peremptos Herm." Phil. 1085. *ἀλλά μοι καὶ θνήσκοντι συνοίσει* etiam mortuo, Oed. R. 118 *θνήσκουσι* mortui sunt; cfr. Not. cr. ad Anth. Palat. p. 265. Schäfer. ad

Theocr. epigr. VII, 2. Bernhardy. Synt. p. 372. Krueger gr. gr. § 53. 1. 3. adn. 1[15]). Haec hactenus. Latinorum autem poetarum praeter Propertium maxime Virgilio haec exquisita figuratae orationis species in deliciis est, cujus tredecim locos Wagnero ad Aen. VI, 10. edit. min. laudatos omnes commode structos esse Steinmetzius demonstratum ivit in programm. Merseburg. anni 1846. pagg. 17. 18. Qui quod unum intactum reliquit Georg. IV, 267. Proderit et tunsum gallae admiscere saporem, ni fallor insolentius quam pulchrius sapor gallae pro condimento e gallis tunso, abstractum pro concreto positum est, veluti in foro coquino nostratium etwas Schmackhaftes daran thun certas materias designare solet. Persimili audacia Horatio Carm. III, 1, 42. purpurarum usus sidere clarior medius intercedit inter Phrygium lapidem, Falernam vitem et Achaemenium costum, ubi purpuras ipsos murices, usum autem fructum interpretor, s. colorem, quo tapetes tinguntur, quemadmodum idem Virgilius Georg. II, 466. Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi abstractum cum concreto composuit.

---

15) Ejusdem verbi praesens futuri sensum habet in Isthm. VI (VII), 42. *θνάσκομεν γὰρ ὁμῶς ἅπαντες.* Ceterum nemo infitias ibit, talibus locis, qualis hic est et Pyth. V, 96. *ἄτερθε δὲ πρὸ δωμάτων ἕτεροι λαχόντες ἀΐδαν βασιλέες ἱεροὶ ἐντί*, perturbationem oriri potuisse, vehementer illam auctam mixtis posterorum Graecorum Romanorumque superstitionibus, quum illi propriam animarum domum Orcum commenti essent, hi umbras juxta sepulcra degere persuasum haberent. Itaque res apud inferos gestae, Manes cum cineribus et ossibus, quum ab aliis poetis, tum vero maxime a Propertio confunduntur, cfr. Hertzberg. Comment. in Eleg. III, 18, vss. 31. Hinc fit, ut facile operam et oleum perdant, qui his in rebus omnia ad amussim expendere omnesque dissimilitudines scrupulosque removere studeant.

NACHRICHTEN
ÜBER
DAS DOM-GYMNASIUM ZU MERSEBURG VON OSTERN 1850 BIS OSTERN 1851.

A. Lehrverfassung.

I. In Prima wurde in 29 wöchentlichen Lectionen der Unterricht im Sommer von 6, im Winter von 7 Lehrern besorgt.

1) Lateinische Sprache. 3 St. Cic. de Orat. I. und Lateinische Besprechung von Nep. Miltiades u. Themistocles. 2 St. Horat. Od. IV. u. I. 1 St. Correctur. Rector Professor Wieck als Ordinarius der Klasse. 1 St. Extemporalien. Subr. Thielemann.

2) Griechische Sprache. 2 St. Homer. Il. I—VI. u. Sophocl. Philoctetes. Conr. Osterwald. — 2 St. Thucyd. II. und Demosthen. Phil. I. und de pace. 1 St. Extemporalien. Subr. Thielemann.

3) Hebräische Sprache. 2 St. Grammatik und Lectüre von Judic. c. 7. I. Sam. c. 17. und Ps. 1, 3, 19, 29, 72, 104, 128 und 137. Collab. I. Dr. Schmekel.

4) Deutsche Sprache. 3 St. Geschichte der neueren Nationalliteratur von Klopstock an mit besonderer Berücksichtigung der dramatischen Poesie. Correctur der freien deutschen Aufsätze. Conr. Osterwald.

5) Französische Sprache. 2 St. Im Sommerh. 1 St. Lectüre: Histoire de Nap. p. Ségur. 1 St. Extemporalien. Mathematicus Gandtner. — Von Michael bis Weihnachten. Lectüre: le Cid par Corneille. Conrector Osterwald. — Von Weihnachten bis Ostern. Lectüre: le Tartuffe par Molière und wöchentliche Extemporalien. Quartus Dr. Gloël.

6) Religionslehre. 2 St. Erklärung des Evangeliums des Johannes. Dom-Diaconus Simon.

7) Geschichte. 2 St. Neuere Geschichte, besonders Reformationsgeschichte. Rect. Prof. Wieck.

8) Mathematik. Im Sommerh. 4 St. Kettenbrüche, unbestimmte Gleichungen, Kegelschnitte. Math. Gandtner. — Im Winterh. 3 St. Stereometrie. 1 St. Algebraische, planimetrische und trigonometrische Uebungen. Mathematicus Buchbinder.

9) Physik. 2 St. Im Sommerh. Einfache Maschinen, Lehre von dem Pendel, Stosse, der Wurfbewegung und von dem freien Falle der Körper. Mathem. Gandtner. — Im Winterh. Optik und Wärmelehre. Mathem. Buchbinder,

---